

(92)* Praenobilissime Domine Professor
Fautor et amice aestumatissime!

Ad gratissimas TVAS breuibus tantum respondere tempus est, hinc calamo properanti ignoscas rogo.

Quod catalogus noster TIBI placeat laetor; iam duo eius exemplaria mitto, si plura cupis, TIBI ex iussu erunt. Quaeris quomodo Fabricius valeat. Bene valet et degit Lipsiae. Fasciculus Florae Danicae non illuminatus constat 5 thaleros danicos seu 2 nummos aureos, species nempe sic dictas; illuminatus constat X thaleros. Quintus fasciculus accidente vere prodebit. Sarraceniam et in nostro horto habere optarem. Kuhnio haud longam vitam praedico, quamvis opto. Nimis est plethoricus et a venaesectione abhorret. Si placet, remittas mihi vnum e missis catalogis, quo, quae in vestro horto sint, adscripseris, vt videamus, quae semina vobis mittenda, quaeque a vobis speranda. Mox enim tempus erit semina anni praeteriti perlustrandi, et communicandi. An a Meyero litteras habes. Certe bene valet in superlativo. Uxor eius pulchella, vt credere fas est, iam grauida circumambulat. Valeas felicissimus, mihiq; faueas. Sum et semper ero

Hafniae d. XXV. Ianuar.
1766

TVI
cultor obseruantissimus
J. Zoëga.

Raptissime, quod quaeso ignoscas; agglutinandis herbis ultra ter mille occupor.

(93)* Praenobilissimo, Eruditissimo Dno Doctori
ac Professore a Linné
S. pl. d.
Zoëga.

Litteras gratissimas vna cum seminibus accepi. Gratias de vtrisque ago summas. Mitto iam seminum, quae desiderasti, omnia quae nobis sunt, et praeterea aliquot, quae